

explicantur sphæræ elementa , ex quibus deinde Chronologiæ & Kalendarii doctrina derivari solet . Hanc autem doctrinam gravissimis non nullis Historiæ ecclesiasticæ factis breviter interdum illustrabo ; has enim institutiones potissimum scribo Ecclesiasticis viris & sacræ Theologiæ studiosis . Omnis igitur nostræ Philosophiæ summa ad veritatem asequendam moresque informandos refertur atque dirigitur .

Porro hanc in singulis Philosophiæ partibus tractandis servabo rationem , ut quæ ad mentis facultates perficiendas , ac sacram Theologiam intelligendam , ad Religionem insinuandam tuendam atque propagandam conducere possunt , ea omnia diligenter inquiram & accurate pertractem ; quæ autem sunt exiguae utilitatis leviter perstringam , & denique vanas ac futilles quæstiones vel breviter referam , vel omnino omittam ; haec enim ignorantia non nocent , vel saltem scientem non juvant magnopere ; imo plerumque miseram rixandi cavillandique libidinem ingerunt , *& multa nescire magna est pars scientiæ* . Et certe si virum quemlibet ingenuum altercationes pugnæque verborum dedecent , quanto magis Ecclesiasticos viros , quibus glorijsius est scire bene vinci , quam culpabiliter vincere . Hic tamen cavendum est , quod faciunt recentiores quidam superciliosi censores , ne tanquam inutiles omnino rejiciantur quæstiones nonnullæ , quæ tamen in Theologia sunt utilitatis maximæ . At non raro contingit quæstiones aliquas non satis clare exponi , & ex illa obscuritate nasci inanissimas logomachias ; id autem curabo diligenter ut nempe status quæstionis accurate explicetur , quo facto , litem totam evanescere statim manifestum fiet .

Tandem hanc legem religiose servabo , ut ve-